

REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE
ORDINIS PRÆDICATORUM

DE DEO TRINO ET CREATORE

Cahiers scolastiques n°GL-2

SANCTÆ DEI GENITRICI
IN SIGNUM GRATI ANIMI
ET FILIALIS OBEDIENTIÆ
AUCTOR
LIBENTISSIME DEDICAT

© Editions *Schola Sapientiae*, 2023

Les textes du RP Garrigou-Lagrange étant libres de droit,
chacun peut librement copier les pages,
pourvu qu'elles participent à la formation en science logique,
et encourage le développement de cette science.

Numéro :	Hors-série n° GL-2 de la revue des <i>Cahiers scolastiques</i>
ISSN :	2681-6954
Dépôt légal :	mars 2023
Edition :	Schola Sapientiae Lierne, 36230 Tranzault, France www.scholasapientiae.fr
Impression :	Pumbo.fr (Pays-Bas)
Directeur de la publication :	Mathieu Brulaire

REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE O.P.
PROFESSOR EX FACULTATE THEOLOGICA

DE
DEO TRINO
ET CREATORE

COMMENTARIUM IN
SANCTUM THOMAM AQUINATEM

TOMUS SECUNDUS

PARS PRIMA SUMMÆ THEOLOGIÆ
A QUÆSTIONE XXVII AD QUÆSTIONEM CXIX



TRANZALTI
(GALLIÆ, BITURIGIS)

MMXXIII

PRÆFATIO.



Summus Pontifex Pius X, in Motu proprio Doctoris Angelici die 29 junii 1914 præscripsit ut in Universitatibus et Institutis, quæ habent ex Apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in S. Theologia conferendi, Summa theologica Sancti Thomæ tanquam textus habeatur.

Hoc autem decretum Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus sic explicavit, die 7 martii 1916: "Summa theologica S. Thomæ habenda est uti textus prælectionum quoad partem scholasticam quæstionum; ita scilicet ut, una cum aliquo tenui, qui ordinem logicum quæstionum et partem positivam contineat habeatur præ manibus et explicetur Summa theologica quoad partem scholasticam" (cf. Acta Apost. Sedis, VIII, 157).

Ad hunc finem jam edidimus tres tractatus: De Revelatione ab Ecclesia proposita, De Deo uno, De Eucharistia. In præsentis opere De Deo trino et creatore, pro prima parte, scil. de SS. Trinitate, post expositionem testimonii S. Scripturæ et Patrum, explicamus quæstiones Summæ theologicæ S. Thomæ, articulum per articulum, comparando ejus doctrinam cum sententiis aliorum theologorum anteriorum et posteriorum.

Insistimus præsertim in conceptione "relationis" ab eo proposita; ex ea enim omnia procedunt in hoc tractatu secundum perfectam applicationem principis œconomix, et sic optime cohærent cum fundamentali thesi tractatus thomistici de Deo uno, secundum quam Deus est ipsum Esse subsistens, ita ut non sit nisi "unum esse" in ipso, quamvis relationes reales ad invicem oppositæ situ realiter distinctæ.

In hoc etiam apparet quomodo S. Thomas perfecit doctrinam augustinianam de Trinitate. Sicut Augustinus solverat plures difficultates quæ remanebant in conceptione Patrum græcorum de Trinitate, ita S. Thomas solvit plura S. Augustini dubia circa processiones, relationes et personas. Hoc satis clare constat, explicando singulas partes præsentis tractatus. Speciatim evolvimus ea quæ ad habitationem SS. Trinitatis in anima justorum pertinent.

Quoad quæstiones de creatione, de distinctione rerum, de earum conservatione, de malo, explicavimus pariter quemlibet articulum, quia omnes sunt magni momenti. Pro tractatibus vero de Angelis, de Creatura corporali, de Homine, examinavimus solum principaliores quæstiones, insistendo in principiis quæ totam istam materiam illustrant. Oportet quidem ab eis ad conclusiones descendere, sed deinde rursus ascendendum est a conclusionibus ad principia, ut unitas scientiæ melius appareat et ut scientia sacra disponat ad contemplationem divinorum et ad veram cum Deo unionem.

Utinam perveniamus, saltem aliquo modo, ad scopum sic a Concilio Vaticano expressum: "Ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo".

DE TRINITATE

Introductio positiva.

1. Momentum et locus hujus tractatus in Theologia catholica. – 2. Enunciatio dogmatis secundum propositionem Ecclesiae. – 3. Errores circa Trinitatem. – 4. Quid docet Sacra Scriptura de mysterio Trinitatis. – 5. Quid docet traditio divina. – 6. Quid a S. Augustino accepit S. Thomas: comparatio conceptionis augustinianae SS. Trinitatis cum conceptione Patrum graecorum.

1. Momentum et locus hujusce tractatus¹.

Si de hac re interrogantur Patres Ecclesiae et antiqui theologi, manifestum est quod pro illis dogma Trinitatis, quamvis valde obscurum, est maximi momenti. Sic Tertullianus, *Adversus Praxeam*, c. 31 ait: “Quæ est substantia Novi Testamenti, si non exinde Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres crediti, unum Deum sistunt”. Sæpe citatur verbum S. Hilarii, *De Trinitate*, lib. VIII, de hoc mysterio expresso in signo crucis quo se signant omnes christiani: “Hoc Ecclesia intelligit, hoc synagoga non credit, hoc philosophia non sapit”. Id est dogma Trinitatis est fundamentalis veritas qua fideles christiani secernuntur a judæis ut a paganis.

Patres tum græci tum latini longe tractaverunt de dogmate Trinitatis, prius positive et apologetice, postea modo speculativo. Ita apud Patres græcos S. Athanasius (*contra Arianos*), S. Basilius (*contra Eunomium*), S. Gregorius Naz. (*V orationes theologicae*), S. Gregorius Nyss. (*contra Eunomium*), Didymus (*de Trinitate*), Cyrillus Alex. (*de Trinitate*), S. Joannes Damascenus (*de S. Trinitate*). Pariter apud Patres latinos: S. Hilarius (*de Trinitate*), S. Ambrosius (*de Fide Trinitatis*), S. Augustinus (*de Trinitate*, XV libri), S. Fulgentius (*de Trinitate*), Boetius (*de unitate Trinitatis*).

Item apud scholasticos, omnes magni theologi eorumque commentatores, scripserunt speculativum tractatum de Trinitate; inter theologos positivos modernos Petau et Thomassin longe de hoc dogmate tractaverunt. Denique idem momentum ei tribuerunt recentiores theologi catholici, ut Franzelin, Scheeben, Kuhn, Billot, Buonpensiere, de Regnon qui scripsit anno 1892-1898 4 volumina: *Etudes de théologie positive sur la Trinité*; J. Lebreton, *Origines du dogme de la Trinité*, 2 vol. Paris Beauchesne 1910, ed. 6, 1927. Recenter P. Martinus Jugie A. A., *De processione Spiritus Sancti* ex fontibus Revelationis et secundum orientales dissidentes. Item A. d'Alès, *De Deo Trino*, 1934; P. Galtier, *De SS. Trinitate in se et in nobis*, 1933; L. Choppin, *La Trinité chez les Pères Apostoliques*, 1925; F. Cavallera, *Les premières formules trinitaires de S. Augustin*, Bull. Litt. eccl., 1930, 97 sqq.; M. Schmaus, *Die Psychologie Trinitätslehre des hl. Augustinus*, Munster i. W. 1927².

His positis minuit est quod in fine sæculi XIX posita fuerit, inter protestantes et etiam inter catholicos, quæstio de momento hujusce tractatus, ut ostendit Scheeben in sua Dogmatica: De Trinitate, n. 1086. – Circa hunc punctum sunt tres positiones.

1) **Quidam protestantes**, considerando incomprehensibilitatem hujus mysterii, dixerunt: Deus hanc veritatem hominibus revelavit tanquam *ænigma*, ad humiliandam rationem quæ vult omnia mensurare secundum sua propria principia, potius quam ad perficiendum intellectum nostrum per sublimem et fecundam cognitionem.

Critica: Hæc positio quæ est contra totam traditionem doctorum aliquid verum exaggerat et adulterat. Verum est quod per revelationem hujus mysterii Deus nobis ostendit suam vitam intimam seu Deitatem superare etiam conceptus nostros analogicos altiores et universaliores, conceptus scilicet entis et unius; etenim *Deitas ut sic*, naturaliter incognoscibilis, est quodammodo *supra ens* naturaliter cognoscibile, *supra unum* etc. ut optime dicit Cajetanus in I, q. 39, art. 1. Revelatio mysterii Trinitatis ostendit quod Deitas est etiam supra absolutum et relativum, quia, ut videbimus, *Deitas ut in se est*, non realiter distinguitur a relationibus divinis, a Paternitate, a Filiatione, a Spiritatione: sic non est in se quid mere absolutum nec quid mere relativum, sed quid eminens, scil. supremum ænigma. Sed manifestatio hujus ænigmatis estne solum ad humiliandam nostram rationem, et non ad eam perficiendam et illustrandam?

2) **Alii, scil. plures protestantes, et quidam catholici** ut Hirscher, sæc. XIX, dixerunt: hoc dogma mentem nostram vere illustrat, sed solum modo extrinseco. Id est pro nobis non habet intrinsecum momentum seu pondus, sed extrinsecum tantum ad vitandam contradictionem in aliis mysteriis Incarnationis Filii Dei et Missionis Spiritus Sancti, quæ pro nobis sunt in se magni momenti.

¹ Cfr. SCHEEBEN, *Dogmatik*, De SS. Trin. in fine.

² Cfr. tractatus de Deo trino: BILLOT, BILLUART, DELATTE, DIEKAMP, FRANZELIN, HUDON, JANSSENS, JOANNES A. S. THOMA, JUNGSMANN, LEPICIER, PESCH, SALMANTICENSES, SUAREZ, TANQUEREY, VAN NOORT, VAN DER MEERSCH. – Dict. théol. cathol., art. Processions divines; Relations et personnes divines; Père, Fils de Dieu, Filioque, Esprit Saint.

Ratio hujusce positionis est quia, ut aiunt, dogma Trinitatis intrinsece sumptum, abstrahendo ab aliis cum quibus connectitur, non potest, ut videtur, perficere vitam nostram interiorem, scil. fidem, spem, caritatem. Loquuntur isti ac si nihil mutaretur in vita nostra interiori, si crederemus quod sunt quatuor persone divinæ, aut quod personæ non realiter distinguuntur ab invicem. Quia igitur juxta eos Deus non revelavit hoc mysterium propter ejus momentum intrinsecum, inutilis est labor theologicus ad ejus penetrationem; propterea tractatus de Trinitate juxta eos est solum velut introductio ad tractatus de Incarnatione redemptiva et de Missione Spiritus S. quibus perficiuntur fides, spes et caritas. Hæc introductio, ut aiunt, necessaria est ad tollendam omnem contradictionem inter veritates essentielles intrinsece necessarias ad vitam christianam, scil. inter: 1) unitatem Dei quæ est veritas fundamentalis Veteris Testamenti, 2) divinitatem Jesu Christi, Filii Dei, qui non omnino identificatur cum Patre suo, juxta Evangelium, et 3) divinitatem Spiritus Sancti, Paracleti, sanctificatoris, missi a Patre et a Filio. Hæc sunt dogmata essentialia Christianismi, quæ conciliari nequeunt sine distinctione et consubstantialitate trium personarum divinarum, ut apparuit in primis sæculis, contra Sabellianismum, negantem distinctionem realem personarum divinarum, et contra Subordinationismum Arianum et aliorum negantium consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti. Proinde, secundum hanc positionem dogma Trinitatis revelatum est ad illustrandam mentem nostram, sed solum extrinsece ad vitandam contradictionem in aliis mysteriis.

Modernistæ autem, ut Ed. Le Roy, adhuc exaggeraverunt hanc positionem in sensu pragmatismi, et dixerunt (cfr. Denz. 2026): "Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, id est tanquam norma præceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi". Sic pro modernistis, formula dogmatis Trinitatis introducta est in professionibus fidei ad excludendas hæreses quæ vitæ christianæ contrariantur.

Critica: Hæc positio quodammodo similis est positioni philosophicæ nominalistæ Locke, qui dicebat: principium contradictionis est solemnis futilitas, in se quidem minoris momenti, sed tamen necessaria ad tollendam omnem absurditatem in discursu et in loquela.

Principium necessarium ad excludendum omnem errorem caretne omni valore intrinseco? Revera non excluditur contradictio in discursu nostro sine illuminatione positiva, et prædictum principium non excludit omnem absurditatem nisi quia est *lex fundamentalis entis realis et rationis*. Sic ontologia non est solemnis futilitas, sed pars principalis metaphysicæ in qua defenditur contra evolutionismum absolutum valor realis principii contradictionis seu identitatis, qui negatur affirmando cum Heraclito: "Omne fit et nihil est et in ipso fieri identificantur ens et non ens".

Item in ordine spirituali, caritas tollit omnem discordiam, quia est virtus suprema conjungens animam cum Deo et animas inter se.

Pariter mysterium Trinitatis non tollit omnem contradictionem in aliis mysteriis Incarnationis Filii Dei et Missionis Spiritus Sancti, nisi quia exprimit vitam Dei intimam, et quod altissimum est in ea.

3) **Tertia positio est sententia traditionalis**, scil. eorum qui tenent dogma Trinitatis habere etiam pro nobis valorem intrinsecum summi momenti: hoc ostenderunt sæc. XIX Kleutgen (*Theologie der Vorzeit*) et Scheeben per plures fundamentales rationes quæ nunc breviter enuntiari possunt, et evolventur in toto tractatu. Hoc dogma 1° perficit nostram cognitionem naturalem de Deo Creatore, 2° dat nobis cognitionem supernaturalem vitæ Dei intimæ, 3° et illustrat ex alto alia mysteria supernaturalia.

1° Prima ratio datur a S. Thoma, qui I, q. 32, art. 2 ad 3^m dicit: "Cognitio divinarum personarum fuit necessaria ad *recte sentiendum de creatione rerum*. Per hoc enim, quod dicimus: Deum omnia fecisse Verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturæ. Per hoc autem quod ponimus in eo processionem amoris, ostenditur, quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliam causam extrinsecam, sed propter amorem suæ bonitatis". Hoc est dicere, ut bene notat Scheeben, *revelatio mysterii Trinitatis perficit et confirmat naturalem nostram cognitionem de Deo Creatore seu de creatione, ut est actus liberrimus Dei ad extra*. Hoc eo magis apparet quo multi philosophi negaverunt libertatem creationis, virtute hujus principii Platonis et neoplatonicorum: *bonum est essentialiter diffusivum sui*. Atqui Deus est supremum bonum. Ergo Deus est essentialiter et maxime sui ipsius diffusivus, sicut sol diffundit ubique calorem simili et lucem ex necessitate naturæ.

Respondetur: bonum est sui diffusivum secundum *aptitudinem*, concedo; semper secundum *actualitatem*, nego. S. Thomas I, q. 19, a. 2 ex hoc principio ostendit quidem convenientiam creationis, sed articulus sequens addit quod creatio, quamvis sit conveniens, est *liberrima* quia "bonitas Dei est perfecta, et esse potest sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat". Remanet tamen quædam obscuritas, scil. si Deus nihil creasset, quomodo verificaretur in eo hoc principium: bonum est sui ipsius diffusivum, primo quidem ut finis alli-ciens et secundo per efficientiam? Leibnitzius in hoc erravit dicens: Creatio est, non physice, sed moraliter necessaria, et Deus non esset perfecte sapiens et bonus si non creasset, et si non creasset inter mundos possibles optimum omnium. Ita Malebranche. Hæc autem obscuritas excluditur quodammodo per revelationem mysterii Trinitatis, scil.: etiam si Deus nihil creasset, adhuc in eo esset infinita fecunditas in generatione Filii et in

spiratione Spiritus Sancti. Unde adhuc verificaretur et perfectissime in Deo principium: *bonum est diffusivum sui*; immo summum bonum est de necessitate sui ipsius diffusivum ad intra, non quidem per causalitatem, sed per communicationem non solum participationis suæ naturæ, sed etiam totius suæ naturæ indivisibilis, totius suæ vitæ intimæ Filio sua unigenito, non facto, et Spiritui Sancto.

Ex hoc confirmatur ex alto quod *liberrima est creatio*, qua Deus communicat ad extra participationem ipsius esse, vivere et intelligere.

Et sic melius apparet quod Deus est causa non intrinseca, sed extrinseca mundi, scil. finis alliciens et agens creans, conservans et movens.

Si Deus creavit, hoc fuit per amorem, ad bonitatem suam manifestandam et liberrime, nullo modo ex necessitate naturæ, ut dicit S. Thomas loco citato, contra omnes pantheistas, et etiam contra optimismum absolutum qui remanet in doctrina Leibnitzii et Malebranchii.

2° *Revelatio mysterii Trinitatis* habet valorem intrinsecum et est maximi momenti *ad cognitionem supernaturalem Dei*, secundum suam vitam intimam, seu operationes immanentes. Nullus enim intellectus creatus per suas vires naturales potest cognoscere objectum formale intellectus increati, scil. Deitatem secundum propriam rationem Deitatis, sed solum secundum rationes communes et analogicas entis, unitatis, veritatis, bonitatis etc. Si enim intellectus creatus, sive humanus, sive angelicus, posset naturaliter attingere etiam confuse et obscure objectum formale intellectus increati, jam esset ejusdem naturæ, sicut intellectus hominis ignorantis et intelligentia magni philosophi, et sic verificaretur confusio pantheistica naturæ increatæ et naturæ creatæ, quæ jam esset, ut gratia sanctificans, participatio formalis naturæ divinæ. Hoc profunde exponitur a S. Thoma I Contra Gentes, c. 3: "Non naturali cognitione angelus de Deo cognoscit *quid est*, quia et ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur, est *effectus causæ virtutem non adæquans*".

Angelus et a fortiori homo, per cognitionem naturalem non potest attingere Deum nisi secundum perfectiones quæ participari possunt in ordine naturali, scil. entis, veritatis, unitatis, bonitatis etc. *Deitas autem ut sic* non potest participari in ordine naturali, sed solum per gratiam sanctificantem. Unde etiam angelus in cognitione sua naturali se habet ad Deitatem ut sic, sicut oculus qui cognosceret omnes colores arcus cælestis, sed non cognosceret lucem albam ex qua procedunt colores ut effectus inadæquantes virtutem lucis. Unde S. Thomas dicit I, q. I, a. 6: "Sacra doctrina propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima causa: quia non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile, sed etiam quantum ad id quod est *notum sibi soli de seipso*, et aliis per revelationem communicatum". Hoc aliter est in primis *ipsa Deitas*, seu *vita Dei intima*, quæ proprie per revelationem mysterii Trinitatis manifestatur.

In eo apparet infinita et æterna fecunditas naturæ divinæ quæ a Patre communicatur Filio et a Patre Filioque communicatur etiam Spiritui Sancto. Dum protestantes supra citati dicunt: mysterium Trinitatis est ænigma sine interesse pro vita nostra interiori, theologi traditionales dicunt: in hoc SS. Trinitatis mysterio nobis quodammodo manifestatur *perfectissima vita intellectualis*, scil. trium personarum, quæ ex eadem veritate divina vivunt per eundem actum intellectionis essentialis, qui est ipsum intelligere subsistens.

Item in hoc mysterio nobis quodammodo manifestatur *suprema vita caritatis*, in amicitia scil. trium personarum, quæ ex eadem bonitate infinita vivunt per eundem actum amoris essentialis, qui est ipse amor subsistens.

Hoc est supremum exemplar vitæ nostræ supernaturalis, quæ est participatio vitæ intimæ Dei, prout filiatio nostra adoptiva est similitudo participata æternæ filiationis Filii unigeniti. Cfr. S. Thomam III, q. 3, art. 5 ad 2; q. 23, art. 2 ad 3. Hoc longius explicavimus in *Revue thomiste* juillet 1936: La grâce est-elle une participation de la Dêité telle qu'elle est en soi? pp. 470-486. Sic Christus dixit orando Patrem pro nobis: "*Ut sint unum sicut et nos unum sumus*". Et S. Paulus scripsit ad Rom. VIII, 29: "Prædestinavit (nos) conformes fieri imaginis Filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus".

Intellectus creatus suis propriis viribus nequit hoc mysterium essentialiter supernaturale cognoscere, et sine ejus revelatione plusminusve obscura, non haberetur explicita cognitio supernaturalis vitæ Dei intime in se.

Attamen cognoscitur *implicite* vita Dei intima dum creditur quod "*Deus est et remunerator est*", scil. quod Deus est *ut auctor* non solum naturæ, sed etiam *gratiæ* et remunerator in ordine salutis. Sic vita Dei intima jam cognoscitur velut ab effectu gratine et salutis; sed per revelationem mysterii Trinitatis explicite cognoscitur in se, quamvis quidem non sicuti est, scil. non clare, ut in patria.

Hoc satis clare affirmat Alexander Halensis *Summa*, II p., q. 99, n. 1, a. 1. et clarius S. Thomas, Contra Gentes, L. IV, c. I, proœmium, et in I, q. 32, art. 1: "Hoc solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. Virtus autem creativa est communis toti Trinitati: unde pertinet ad unitatem essentiæ non ad distinctionem personarum".

Obijciunt adversarii: hæc cognitio vitæ intimæ Dei ita remanet obscura quod non positive et ex se intrinsece illustrat mentem.

Resp.: Manifestum est quod cognitio etiam valde imperfecta vitæ Dei intimæ est pro nobis viatoribus maximi momenti, est velut anticipatio vitæ æternæ. Hæc cognitio correspondet desiderio naturali inefficaci et conditionali, videndi essentiam Primæ causæ, ac intimam conciliationem attributorum divinorum; correspondet etiam et præsertim desiderio supernaturali et efficaci, quod procedit ex spe infusa et modo altiori ex caritate infusa, quæ est vera amicitia inter Deum et hominem justum. Amicitia autem supponit convictum amicorum, et unionem magis intimant ac visionem eorum desiderat.

Unde dicere: revelatio mysterii Trinitatis est pro nobis sine valore intrinseco, hoc est inconscienter conceptionem quasi naturalisticam exprimere.

Hic citari possunt hæc verba Aristotelis (Ethica, I. X, c. 7): "Homo debet se ad immortalia et divina trahere quantum potest, et quamvis parum sit quod de his percipimus, tamen id modicum est magis amatum et desideratum omni cognitione quam de substantiis inferioribus habemus". Cfr. S. Thomam I C. G., c. 5.

Christus Dominus exprimit ipse momentum mysterii Trinitatis dum dicit: "*Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*", præsertim mysterium supremum. Joan. XV, 15; "Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi", Joan. XVII, 24, quæ verba verificantur primo de æterna generatione Verbi.

Immo actus et fructus caritatis est gaudium de Deo ex eo quod Deus sit infinite perfectus in se: II-II, q. 28, a. 1, 3, 4, Hoc autem gaudium valde augetur per cognitionem vitæ Dei intimæ et fecunditatis ejus infinitæ. Unde S. Paulus ad Coloss. II, 2 scribit: "ut consolentur corda ipsorum, instructi in cantate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus *in agnitionem mysterii Dei Patris et Jesu*, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi".

Unde quando theologi recedunt a contemplatione divinorum dicunt: revelatio mysterii Trinitatis est pro nobis sine valore intrinseco; utilis est solum ad vitandam contradictionem in enuntiatione aliorum mysteriorum. Secundum hanc tendentiam, theologia fieret paulatim anticontemplativa Sic scribuntur libri theologiæ sine contemplatione et pietate, sicut sunt etiam libri pietatis sine doctrina. E contrario, Patres Ecclesiæ et magni Doctores consideraverunt tractatum SS. Trinitatis ut summi momenti. Non pertinet quidem immediate ad ordinem practico-practicum ut sunt tractatus de pœnitentia aut de matrimonio, sed maxime juvat ad altiorem vitam contemplationis et unionis cum Deo.

Immo S. Hilarius, de Trinitate scribens, aiebat inter adversitates: "Parum refert persecutio hominum: persecutores non possunt divinas personas attingere, nec earum gaudium minuere". Amicus autem gaudet de gaudio amici sui, justus gaudet de ipsa beatitudine Dei.

Sic omnes magni doctores, qui a S. Athanasio ad S. Thomam de Trinitate scripserunt, fuerunt vere contemplativi et magnum interesse habuerunt non solum pro rebus humanis practico-practicis, sed etiam pro rebus divinis, pro ipsa vita intima Dei cujus cognitio et amor est quædam vitæ æternæ inchoatio. Præsertim igitur per revelationem Trinitatis nobis datur cognitio supernaturalis Dei, distincta a cognitione naturali: *sic elucet distinctio duorum ordinum*. Hoc fuit magnum argumentum contra Bajum, qui negabat distinctionem essentialem inter naturam et gratiam, ac si gratia esset *debita* naturæ nostræ (Denz. 1021). Imo per revelationem dogmatis Trinitatis distinctio duorum ordinum ita manifesta est ut quidam rationalistæ dicant: cum tractatu de Deo Uno terminatur quidquid de Deo dicere possumus: et sic protestantes liberales, qui sunt quasi rationalistæ, non amplius loquuntur de Trinitate, sed fere exclusive de Unitate Dei, propterea vocantur Unitarii.

3° Denique revelatio supernaturalis mysterii Trinitatis non solum excludit contradictionem in aliis mysteriis, sed etiam positive *illustrat ex alto omnia alia mysteria supernaturalia*, Incarnationis redemptivæ, Missionis Spiritus Sancti et vitæ gratiæ. Hoc dare videbimus in patria; et jam quodammodo apparet quod missiones visibiles et invisibiles personarum divinarum ad extra præsupponunt processiones ad intra: quia nullus mittitur a seipso, sed Filius a Patre et Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Item *filiatio nostra adoptiva* per gratiam habitualement est *quædam similitudo participata filiationis æternæ Filii unigeniti*, sic Unigenitus fit "*primogenitus in multis fratribus*" ut dicitur ad Rom. VIII, 29. Cfr. III, q. 3. a. 5, ad 2^m; q. 23, a. 2 ad 3^m. Adoptare appropriatur Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti: item amicitia supernaturalis justorum et beatorum est quædam similitudo participata amicitiae divinarum personarum, secundum illud Domini: "*Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*". Vita gratiæ est velut lux repercussa, manifestans vitam Dei intimam et processiones divinas. Unde S. Thomas dicit I, q. 32, a. 1 ad 3^m: "Cognitio divinarum personarum fuit necessaria nobis... principaliter *ad recte sentiendum de salute generis humani*, quæ perficitur *per Filium incarnatum et per donum Spiritus Sancti*". Dicit ad recte sentiendum positive et non solum negative ad excludendam contradictionem. Ratio est quia veritas quæ excludit omnem æquivocationem et absurditatem in aliqua doctrina, est veritas altior, immo altissima ad modum principii eminentissimi, ut sunt prima rationis et entis principia et ipsa Ontologia in ordine philoso-

phico. Hoc lucidissime apparebit quando lumen gloriæ accepimus, sic ex Trinitate clare visa evidentia fient ac lucidissima alia mysteria supernaturalia.

Sic, ut jam apparet, revelatio mysterii Trinitatis habet valorem non solum extrinsecum, sed etiam intrinsecum ad illustrandam mentem nostram. Imo nobis manifestat objectum principale et supremum totius fidei nostræ, ut constat ex ipso ordine Symboli Apostolorum, quod totum est de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto et de his quæ eis tribuuntur in opere salutis nostræ.

Ultimo dicendum est quod sancti in via dum perveniunt ad culmen perfectionis quod vocatur unio transformans, descripta a S. Theresia in VII mansionem, generaliter gaudent in caligine fidei alta contemplatione mysterii SS. Trinitatis, et hoc est eminens exercitium virtutum theologiarum, necnon doni intellectus et sapientiæ.

Ex ista altitudine, prædictæ sententiæ quæ tenent mysterium SS. Trinitatis nullum habere valorem intrinsecum apparent non quidem ut assertiones sapientiæ sed potius spiritualis insipientiæ aut stultitiæ secundum sensum scripturisticum hujusce verbi.

Per oppositum S. Paulus dicit I Cor. II, 6-9: "Sapientiam autem loquimur inter perfectos... sed loquimur Dei sapientiam in mysterio... Quod oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum". Præparavit autem eis visionem immediatam essentiæ divinæ et Trinitatis.

2. Enunciatio mysterii Trinitatis secundum Ecclesiam.

Doctrina catholica de Trinitate exprimitur in variis Symbolis et definitionibus, quæ referuntur apud Denzinger (Index systematicus n. V, a, b), scil. in Symbolo Apostolorum, Symb. S. Athanasii, in Symb. Concilii Nicæni, ac pluribus aliis sequentibus. Denique fides catholica de S. Trinitate sic contrahitur a Concilio Lateranensi IV (1215), in celeberrimo capite "Firmiter" (Denz. 428, 432): "Firmiter credimus et simpliciter confitemur, *quod unus solus est verus Deus Pater, Filius, Spiritus Sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino*. Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque... consubstantialis et coæquales et coomnipotentes et coæterni... credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personæ ac singillatim quælibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est et non quaternitas, quia *quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu nutum divina*".

Item n. 431: *Non est realis distinctio inter essentiam et personas, sed est inter personas ad invicem* (281, 523, 703).

Ibid. n. 428 declaratur quod *tres personæ sunt unum principium operationis ad extra*, quia "operatio" divina ad extra procedit ex omnipotentia quæ communis est tribus personis.

Hæc definitio IV Conc. Lateranensis completur a Conc. Florentino, in decreto dogmatico unionis græcorum (1439), Denz. 691: "Diffinimus quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est et essentiam suam suamque esse subsistens habet a Patre et a Filio simul, et ex utraque æternaliter tanquam *ab uno principio* et unica spiratione procedit". Declarantur etiam plura de qualibet persona in particulari.

Unde mysterium SS. Trinitatis sic brevius enuntiari potest: *est mysterium unius Dei in tribus personis*, sed contra pseudo-synodum Pistoriensem dicendum est: non unum Deus in tribus personis distinctus, sed: *unus Deus in tribus personis distinctis*; nam nulla ponitur distinctio realis in ipsa Deitate. Ut declaratum est in Conc. Toletano XI (Denz. 279): "Deitas in singulis personis non minuitur, et in tribus non augetur".

De symbolismo traditionali SS. Trinitatis.


Ad quandam expressionem hujusce mysterii communiter propositum est symbolum trianguli æquilaterialis, quod plus continet quam generaliter putatur. Sensibiliter exprimit vestigium mysterii quoad distinctionem personarum et ea quæ sequuntur.

1) Tres anguli *realiter ab invicem distinguuntur*, quamvis *non realiter distinguantur a superficie trianguli*, quæ est numerice eadem pro tribus. Ita tres personæ divinæ realiter ab invicem distinguuntur, non vero ab essentia divina quæ est numerice eadem in eis. Imo hi tres anguli realiter ab invicem distinguuntur *per oppositas relationes*, et non a superficie communi cui nullo modo opponuntur: ita tres personæ divinæ.

2) Hi tres anguli sunt *æquales*, et quasi consubstantiales, quia constituuntur eadem superficie quæ non est major in tribus quam in uno. Sic est ana superficies non in tribus angulis distincta, sed in tribus angulis *distinctis*.

3) Quilibet angulus reddit hanc superficiem *incommunicabilem* ex parte sua, attamen primus angulus constructus, quamvis non causet superficiem aliorum, communicat suam superficiem secundo, et per secundum tertio. Imo primus angulus non realiter distinctus a sua superficie, eam communicat, quamvis semetipsum non communicet, ita Pater in Trinitate communicat naturam divinam, non vero seipsum; pariter Filius respectu Spiritui Sancto.

4) Denique non obstante æqualitate angulorum est inter eos *ordo originis*, absque causalitate; sic construitur primus, ut principium secundi, et ambo sunt principium tertii; attamen secundus et tertius non causantur a primo, quia eorum superficies non causatur, est enim ipsa superficies primi quæ eis communicatur. Hæc analogia melius manifestatur, prout principales definitiones Ecclesiæ circa Trinitatem reducuntur ad sequentes propositiones, quæ sic pluries scriptæ sunt circa triangulum æquilateralem.



Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus et tamen *Pater non est Filius*, quia non seipsum generat; *nec est Spiritus Sanctus, nec Filius est Spiritus S.*, quia spirantes distinguuntur a spirato, sicut generans a generato. Sic in enuntiatione mysterii jam apparet sensus profundus verbi “*est*” et negationis “*non est*”. Ut dicitur in I, q. 13, a. 12, verbum “*est*” exprimit in omni propositione affirmativa de aliqua realitate *identitatem realem* subjecti et prædicati, et hic exprimit identitatem realem trium personarum cum essentia, dum negatio “*non est*” exprimit distinctionem realem personarum ab invicem. Jam ex hoc tollitur aperta contradictio in enuntiatione mysterii, aperta contradictio esset si Deus sub eodem aspectu, v. g. naturæ, diceretur simul unus et trinus.

In Catechismo catholico cura et studio Card. Gasparri concinnato sic definitur hoc mysterium pag. 96:

1) “Deus unus est unitate naturæ in tribus tamen realiter distinctis personis, Patre, Filio et Spiritu S., quæ SS. Trinitatem constituunt”. Sic Pater est Deitas non vero est trinitas.

2) Quomodo inter se distinguuntur Pater, Filius et Spiritus S.?

R. Per oppositas personarum relationes, quatenus Pater generat Filium, et ab utroque procedit Spiritus S. (Pater enim non generat seipsum).

3) Curnam tres personæ divinæ sunt unus Deus?

R. Quia sont consubstantiales, id est unam eandemque habent naturam divinam, et ideo easdem perfectiones seu attributa et opera ad extra. (Opera enim ad extra procedunt ex omnipotentia quæ communis est tribus personis.)

4) Nonne potentiam Patri, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui S. Sacræ Litteræ adscribere solent?

R. Licet omnia divinitatis attributa communia sint singulis divinis personis, nihilominus Sacræ Litteræ adscribere solent potentiam Patri, quia est omnis originis fons, sapientiam Filio, quia est Verbum Patris, bonitatem et sanctitatem Spiritui S. quia est utriusque amor”.

Et datur referentia ad Catechismum Conc. Trid. ad parochos, p. I, c. IV, n. 3, et c. II, n. 14.

Non magis immorandum est nunc in simplici enuntiatione hujusce mysterii; explicatio verborum naturæ, personæ etc. invenietur in ipsis articulis S. Thomæ.


3. De erroribus circa Trinitatem.

Non loquimur de atheistis nec de pantheistis, qui negant ipsum Deum creatorem, nec de rationalistis, qui simpliciter rejiciunt omne mysterium supernaturale. Facilis est classificatio horum errorum prout quidam, ad facilius salvandam unitatem naturæ divinæ, *negant aut realem distinctionem personarum* (ut Monarchiani et Sabelliani) *aut earum consubstantialitatem* (ut Subordinationistæ, scil. Ariani et Macedoniani), Per oppositum quidam, ad melius salvandam Trinitatem personarum, *tres naturas* ponunt in divinis, hi sunt Tritheistæ, Cfr. Tixeront, *Histoire des dogmes*, T. I, p. 127 sq., 179 sq., 313, 406; T. II, 22; T. III, 107.

In hoc apparet quomodo divina Providentia permittit errores et hæreses ut in majori luce manifestetur veritas, sicut permittit peccatum propter majus bonum; immo quoad Trinitatem Deus permisit hæreses ad invicem oppositas, ut in tribus prioribus sæculis omnes principales aspectus supremi mysterii speculative consideren-

tur, et ut in plena luce ponatur supremum dogma. Sic in Oriente præcipuæ hæreses speculativæ seu ordinis metaphysici antecesserunt hæresim pelagianam quæ est potius ordinis moralis et apparuit in Occidente.

Ita classificari possunt hi errores, ut appareat veritas hujusce effati: systemata erronea plerumque sunt vera in hoc quod affirmant, et falsa in hoc quod negant, quia realitas de qua loquuntur ditior et altior est illis.



Difficile est fingere alios errores posibles, nisi errores rationalistarum modernorum, ut Kant, Hegel, qui notionem Trinitatis omnino pervertunt ad negandam omnem veritatem supernaturalem.

Aliter proponi potest hæc classificatio, ut melius manifestetur contrarietas errorum ad invicem oppositorum. Sic inter ac supra *Unitarismum* (Monarchianorum, Modalistarum aut Arianorum) et *Tritheismum*, dogma catholicum *Trinitatis in unitate* apparet ut veritatis culmen, ad modum culminis pyramidis supra errores ad invicem contrarios. Hæreses ad invicem oppositæ sic apparent falsæ, in eo quod negant scil. in negatione sive Trinitatis, sive Unitatis, et veræ in hoc quod affirmant, quia realitas divina est infinite ditior humanis conceptionibus semper limitatis. Ut videbimus, in Medio Ævo appositio inter nominalismum et realismum valde influxit in has quæstiones theologicæ et modo satis complexo.

Quinam negaverunt distinctionem realem personarum?

Sæc. II: *Monarchiani*, qui monarchiam profitentes, seu unicum principium divinum, declaraverunt aut *Christum* esse *merum Hominem*, virtute quadam divina instructum, ita Paulus Samosatenus; aut *Christum* esse *Deum Patrem incarnatum* et passum, ut *Patripassiani*: speciatim Noetus, contra quem scripsit in Oriente Hippolytus, et Praxeas, quem refutavit Tertullianus in Occidente.

Noetus et Praxeas asserebant Patrem et Filium non vere distingui, sed esse diversa nomina ad eandem personam designandam.

Sæc. III *Sabellius* propugnavit *modalismum* ita dictum, quia in Deo non admittebat personas distinctas, sed tantum accidentales modos. Postea modalistæ dixerunt: in Deo unam tantum esse Personam eamque triplici modo sese manifestare, ut *Legislatorem* in V. T. seu ut Patrem, postea ut *Redemptorem* in N. T. seu ut Filium, et denique ut *Sanctificatorem* seu Spiritum Sanctum.

Contra Sabellianos seu Modalistas scripserunt post Tertullianum, S. Dionysius Alex., S. Zephyrinus, et Callistus (Cfr. Denz., *Damnatio Sabellianismi*: 48, 60, 85, 231, 271, 705).

Notandum est quod Modalismus renovatus est postea a *Mahumetanis*, sæc. VII; Mahumetus admisit enim existentiam unius Dei Creatoris, Allah, qui solus est adorandus, exclusa Trinitate personarum. Imo formula orationis in Islamismo, scil. "Non est alius Deus, nisi Allah, et Mahumetus est ejus propheta", hæc formula in mente Mahumeti est negatio Trinitatis, et continet hæresim, imo apostasiam totalem a fide christiana, negatis simul dogmatibus Incarnationis et Redemptionis per Christum, qui nihil aliud est quam propheta. Hoc attente notare debent hi qui nunc scribunt de mystica Islamismi, non satis notando differentiam immensam inter Islamismum et Christianismum.

Item modalismus renovatus est deinde a *Waldensibus*, medio ævo, et a *Socinianis*, ab *Unitariis* qui sunt protestantes liberales. Item apparet in *theologia kantiana* ubi Deus vocatur Pater ut Legislatores, Filius ut Gubernator, Spiritus S. ut Judex. *Theosophi moderni* pariter sunt unitaristæ, et terrent quod unum est Ens æternum infinitum, incognoscibile, quod sese manifestando fit triplex: primus Logos, seu *radix essendi*, secundus Logos, seu *primitiva dualitas*, tertius Logos, seu *intellectus universalis* (Cfr. Mainage, *Les principes de la théosophie*). Alii dixerunt. in Deo est, absque distinctione reali, intelligentia, ejus objectum et unio utriusque: hæc tria vocari possunt Pater, Verbum et Spiritus. Ita quidam Hegeliani.

Hi omnes errores modalismum sæculi III renovant.

Quinam negaverant divinitatem personarum et consubstantialitatem?

Præsertim *Arius*, presbyter alexandrinus, gnostico principio imbutus quod Deus, ratione suæ excellentiæ, non potest immediate producere res inferiores, sed solum mediantibus creaturis superioribus. Sic, Arius se-

quens vestigia Ebionitarum et Gnosticorum, negavit divinitatem Filii, dicens *Filium* esse tantum *creaturam* perfectissimam omnium, ex nihilo factam in tempore, ac Deo igitur subordinatam, unde nomen *subordinationismi*. Pro Ario, Deus Pater solus est æternus et creavit in tempore Verbum, non ex propria substantia, sed ex nihilo, et deinde Deus usus est Verbo tanquam organo ad creandum mundum, et ad homines redimendos. Juxta Arium Spiritus S. est pariter creatura, non solum Patre, sed Filio inferior. Unde Arius saltem initio dicebat Filium esse secundum naturam Patri omnino dissimilem (ἀνόμοιον). Hunc errorem impugnaverunt Alexander, Alexandriæ episcopus, qui vocata synodo centum fere episcoporum, Arium pertinaciter hæresi adhærentem excommunicavit, et præcipue S. Athanasius, qui dogma catholicum invicte propugnavit, defendens verba Ev. Joan. I, 1: "In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum".

Ad pacem Ecclesiæ reddendam, anno 325 congressum est universale concilium Nicææ in Bithynia, in quo definitum est contra Arium, *Verbum esse Patri consubstantiale*, "ὁμοούσιον τῷ Πατρί, unius substantiæ cum Patre" (Denz. 54). Fidei formula hæc erat: "Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Etiam unum Dominum nostrum Jesum Christum *Filium Dei, natum ex Patre unigenitum*, hoc est de *substantia Patris* (non ex nihilo), *Deum ex Deo*, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, *natum, non factum*, unius substantiæ cum Patre, quod græce dicitur homoousion, per quem omnia facta sunt. Et in Spiritum S...". Arianismo sic ab Ecclesia damnato ut hæresi, ariani conati sunt errorem suum dissimulare, dicendo Filium esse similem in natura cum Patre, homoiousion, vel homoion, nolabant tamen dicere consubstantialem homoousion.

Ita Basilius Ancyranus et Auxentius Mediolanensis, qui vocati sunt semi-ariani. Hæresis ariana perduravit usque ad sæc. VI in quo prorsus evanuit.

Quoad doctrinam S. Athanasii de Trinitate, cfr. Tixeront, *Histoire des dogmes*, II vol., pag. 67-76.

Defensio dogmatis a S. Athanasio proposita sic breviter contrahitur Verbum dicitur Deus in prologo S. Joannis: "*Et Deus erat Verbum*"; item pluries ejus divinitas clare affirmatur in Epistolis S. Pauli, et a Christo ipso v. g. dum dicit: "*Ego sum via, veritas et vita*". Insuper revera Verbum nos deificat, nos efficit deos per participationem, ad hoc requiritur quod ipsum sit Deus per essentiam, consubstantiale Patri, quamvis ab eo distinctum ut Filius ejus. Pariter Spiritus S. nos vivificans est Deus per essentiam, et ideo cum Patre et Filio connumeratur in formula baptismi. Principales definitiones et declarationes contra Arium et Arianos sunt apud Denz. n. 54, 57, 61, 223, 271, 708, 1460.

Eunomius ex iisdem principiis ac Arius deduxerat Spiritum S. non esse Deum, sed creaturam a Filio Dei factam, eoque inferiorem, et angelis similem. Et eodem fere tempore Macedoniani negaverunt ut semi-ariani divinitatem et consubstantialitatem Spiritus Sancti.

Contra Eunomium scripserunt S. Gregorius Nyss., S. Basilius Cæs., S. Ambrosius. Damnatus est macedoniansmus a S. Damaso in Conc. Romano IV (380) et anno sequenti in Conc. Constantinopolitano, œcumenico II. Denz., *Index*: Macedonius: 74, 85. Cfr. etiam n. 58, 62, 85, 223, 271, 705, 1461.

Principalis definitio est ista n. 74: "Si quis non dixerit Spiritum S. de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divina substantia, et Deum verum, a. s.". Sic sæc. IV, modo perfecte explicito ab Ecclesia proponitur contra prædictos errores Trinitas personarum distinctarum ab invicem et earum divinitas seu consubstantialitas, ita servatur unitas essentiæ non obstante personarum distinctione. Proinde jam in primis sæculis damnatur explicitè unitarismus quem nunc renovant protestantes liberales.

Quinam docuerant Tritheismum? Explicite Tritheismus non apparuit nisi in medio ævo.

Attamen sæc. VI *Joannes Philotonus*, alexandrinus philosophus, viam paravit tritheismo prout *identificavit personam cum natura*, sic docuit tres esse naturas in Deo et tamen tres personas esse unum Deum. Aliis verbis docuit tres personas divinas participare naturæ divinæ, quasi sicut tres homines participant naturæ humanæ. Propterea damnatus est ut hæreticus in II Conc. Constant. (œcum. V). Cfr. Hurter, *Nomenclator* 3, T. I, p. 466, n. 2.

Sæc. XI et sequenti *controversia de universalibus* influxit diversimode in quæstiones de Trinitate. Roscellinus, nominalium doctor celebris, docuit essentiam divinam non posse esse communem tribus personis, sed tres personas divinas esse tres realitates seu substantias distinctas, eo fere modo quo tres animæ et tres angeli differunt, et tamen tres personas divinas aliquid unum efformare prout una voluntate et potentia præditæ sunt.

Roscellinus ad hoc pervenit per viam nominalismi, secundum quem universalia nequidem fundamentaliter existunt a parte rei, scil. universalia nihil objectivi referunt, sed sunt mere voces in nostris sermonibus usitatæ; ad quam doctrinam redeunt positivisti seu empiristæ moderni, qui nolunt admittere distinctionem essentia-

lem inter cognitionem intellectivam et sensitivam, et reducunt ideam ad imaginem compositam phantasiæ cum nomine communi adjuncto. Secundum igitur nominalismum saltem purum, nequidem fundamentaliter in rebus existunt universalia, sed solum individua; sic humanitas designat collectionem hominum et non naturam humanam specificè unam; si igitur sunt tres personæ divinæ secundum revelationem, non concipitur nominalistis quod possint habere eandem naturam divinam, et præsertim naturam numericè unam; nequidem enim admittunt pro diversis hominibus naturam specificè unam.

Nominalismum Roscellini impugnavit S. Anselmus in Tr. *de Fide Trinitatis*, P. L. t. 158, p. 259-284, et damnavit Synodus Suessoniensis (ann. 1092)³.

Post Roscellinum, sæc. XI *Gilbertus Porretanus*, qui quamvis a pluribus dicatur nominalista, est potius realista, alio modo tendit ad tritheismum, dum affirmat *relationes divinas ab essentia distingui realiter*. Realismus immoderatus existimat quod universale existit formaliter a parte rei, et sic ponit distinctiones reales ubi non sunt, v. g. in homine inter gradus metaphysicos, inter ens, substantialitatem corporeitatem, vitam, animalitatem, rationalitatem, non considerando quod hæc omnia reducuntur ad eundem conceptum magis comprehensivum hominis.

Pariter realismus immoderatus ponit quandam distinctionem realem, aut saltem plus quam virtualement in Deo inter attributa divina, et etiam inter essentiam divinam et personas divinas. Sic tendit ad tritheismum, quia in personis divinis seu in relationibus divinis ad invicem oppositis ipsum "*esse in*" multiplicaretur. E contrario, ut ostendit S. Thomas I, q. 28, a. 2, in eis "*esse in*" est non accidentale, sed substantiale, ideoque non multiplicatur.

Gilbertus Porretanus damnatus est in Conc. Remensi an, 1148. Denz. 389; sequeretur ex ejus doctrina quod relationes divinæ essent accidentia in Deo. Respondet S. Thomas (I, q. 28, a. 2) quod in Deo, ut est Actus purus, non potest esse accidens, et hæc relationes sic realiter distinctæ a substantia divina, ad modum accidentis, non possent constituere personas. Ut videbimus infra loc. cit.: "*esse in*" relationis in Deo est quid substantiale, et ideo non realiter distinguitur a substantia.

Sic Roscellinus et Gilbertus Porretanus, per vias diversas, ponunt in Deo distinctionem realem quæ non invenitur, sic inclinant ad tritheismum. Denique *Abbas Joachim* XII sæc., in Calabria, ad tritheismum pervenit, volendo corrigere Petrum Lombardum, quem male intellexerat. Putavit doctrinam Petri Lombardi perducere ad quandam quaternitatem, prout essentia divina non esset neque Pater, neque Filius, neque Spiritus S. Hunc errorem vitare volens in alium incidit: docuit enim inter tres personas divines existere tantum *unitatem moralem*, eam scil. quæ oritur ex consensu voluntatis, et existit inter christianos. Sic natura divina non esset numericè una seu unica, sed multiplicaretur. Hic error Abbatis Joachim damnatus est a IV Conc. Lateranensi (Denz. 432): "Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod *una quædam summa res est*, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus S., tres simul personæ, ac singillatim quælibet earundem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, et non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet essentia divina". In hac definitione verbum est dum dicitur "*Essentia divina est Pater*" significat ut in omni propositione affirmative identitatem realem subjecti et prædicati. Essentia est Pater, absque distinctione reali, dum e contrario Pater non est Filius; inter eos est distinctio realis seu distinctio quæ antecedit considerationem mentis et quæ fundatur, ut clarius dicetur in Conc. Florentino, Denz. 703, in relationis oppositione. In hoc Conc. Florentino (ibid.) ad reconciliationem schismaticorum græcorum cum Ecclesia, clare formulatur principium quo illustratur tota doctrina de Trinitate: "*In Deo omnia sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio*". Hæc autem relationis oppositio existit inter personas ad invicem, non vero inter personas et essentiam. Sic doctrina Ecclesiæ apparet ut culmen pyramidis supra hæreses ad invicem oppositas, qui negant aut Trinitatem personarum divinarum, aut unitatem numericam naturæ divinæ. Proinde juxta iudicium Ecclesiæ hæc hæreses sunt falsæ in hoc quod negant, et remanet aliquid secundum quid verum in illis in hoc quod affirmant. Quidquid enim positive affirmatur in eis, scil. et unitas naturæ et Trinitas personarum, affirmatur ab Ecclesia.

Notandum est denique quod sæc. XIX *Gunther* ad tritheismum inclinavit definiendo personalitatem per con-

³ Notandum est quod S. Anselmus est realista potius immoderatus, ut apparet ex sua probatione a priori existentiae Dei quæ valeretur secundum realismum platonicum, et non valet iuxta S. Thomam, secundum moderatum realismum Aristotelis. In confutatione hujus argumenti S. Anselmi sæpe non satis consideratur ejus relatio cum quæstione de universalibus. Et ad objectionem quod hoc argumentum continet illegitimum transitum ab ordine ideali ad realem, realista platonicus responderet: semper, iudicando de essentia rerum extramentalium, transimus de ordine ideali ad realem. Sed secundum realismum moderatum *in experientia fundatum* non valet argumentum Anselmi. Quidquid sit autem de hac exaggeratione realistica S. Anselmus egregie defendit dogma contra Roscellinum.

scientiam sui. Dixit: si per suam essentiam Deus esset sui conscius, in en esset solum una persona. Sic posuit *tres conscientias* distinctas in Deo, distinguendo in Deo subjectum sui conscius (Patrem), objectum sui conscius (Filium), et æqualitatem utriusque, sui consciam (Spiritus S.). Sic videtur pervenire ad tres intellectiōnes. Hic error reprobatus est a Pio IX (Cfr. Denz. 1655).

Inter errores de Trinitate computanda est theoria modernistarum, qui dicunt dogma Trinitatis, sicut alia dogmata, esse inventum humanum, laborioso conatu comparatum, et continuæ evolutioni ac mutationi subjectum (Denz. 2022 sq., 2026, 2054).

Quid resultat ex damnatione horum errorum quoad distinctionem conceptuum? Ex hac brevi classificatione errorum ad invicem oppositorum non solum melius apparet, ut culmen, veritas revelata ab Ecclesia proposita, in qua scil. servantur unitas naturæ divinæ et simili Trinitas personarum divinarum; sed occasione horum errorum distinctio inter naturam et personam multo clarius exposita est. Notandum est, ut communiter dicitur, quod ad hanc distinctionem statuendam fuit difficultas propter differentiam inter vocabula latine et vocabula græca. In Ecclesia Occidentali, vocabulum latinum *persona*, græce πρόσωπον, prius quidem designat larvam scenicam (*maschera*) quam induebant histriones qui famosos homines repræsentabant, personando seu declamando; postea vero hoc nomen impositum est iis qui aliqua dignitate decorabantur (*un personaggio*), tandem iis omnibus hominibus qui sunt *sui juris*, seu iurium capaces, et sic personæ distinguuntur a rebus. Modo magis philosophico, sæc. VI Boetius definivit personam: “naturæ rationalis individua substantia” (Lib. De Persona et de duabus naturis), id est, ut diceretur hodie: “Persona est subjectum intelligens et liberum”.

In Ecclesia Orientali autem, prioribus sæculis, sæpe voces οὐσία et ὑπόστασις promiscue usurpabantur ad designandam substantiam vel essentiam; ex hoc ortæ sunt multæ controversiæ: et πρόσωπον, etymologice significans faciem aut larvam scenicam, non videbatur satis clare exprimere realem distinctionem inter personas divinas. Ariani autem vocem ὑπόστασις intellexerunt de substantia, dixeruntque, tres in Deo esse substantias subordinatas. Tandem, suadente S. Athanasio, placuit nomine οὐσία designari naturam et verbo ὑπόστασις significari personas. Sic deinceps vox græca *hypostasis* æquivalet voci latinæ *persona*, unde expressio “*unio hypostatica*” seu unio duarum naturarum in *una persona* Verbi incarnati; et pariter dicuntur esse in Deo *tres hypostases* in unitate naturæ. Postea, inter Patres græcos, S. Basilius magis explicite determinavit sensum horum verborum. Docuit voce οὐσία designari id quod est commune (τὸ κοινόν) individuis ejusdem speciei, et *hypostasi* id quod est singulis individuis proprium (cfr. S. Basilium, Epist. 38, 1; 3, 4. PG. t. 32, p. 325 sq.). Attamen hæc notio adhuc incompleta erat, nam natura a Verbo assumpta, etsi individua, non est persona. Propterea ad vitandam confusionem humanitatis individuae Christi cum ejus persona divina, Leontius Bysantinus docuit *hypostasin* esse substantiam non solum individuum sed etiam per se separatim existentem (καθ' ἑαυτόν) ideoque vere *incommunicabilem* (cfr. Leont. Bisant., *Contra Nestorium et Eutichet*. PG. t. 86, p. 1280 sq.).

Inter scholasticos S. Thomas pariter perficit definitionem personæ datam a Boetio. Cfr. I. q. 29, a. 1, 2; III, q. 2, a. 2 ad 3; Quæstiones disp. De Pot., q. 9, a. 1, 4. Juxta ipsum *persona est naturæ rationalis individua substantia*, scil. *incommunicabilis per se separatim existens ac per se separatim operans, sui juris*. Communiter dicitur hodie, ut notavimus: *persona est subjectum intelligens et liberum*, et hoc verum est (analogice, sed proprie) et de persona humana, et de persona angelica, et de personis divinis, ut clarius infra dicitur.

Notandum est denique quod apud doctores et theologos catholicos fuerunt duæ tendentiæ. Patres et theologi græci in explicatione mysterii potius incipiunt a Trinitate personarum quæ revelatur explicite in N. T. quam ab unitate naturæ; dum e contra latini præsertim a tempore S. Augustini potius incipiunt ab unitate naturæ, jam statuta in tractatu De Deo uno, ad inveniendam Trinitatem personarum. Sic quasi modo inverso transeunt ab uno extremo mysterii ad aliud et proinde inveniunt oppositas difficultates; græci difficiliter servant unitatem naturæ, et latini difficiliter servant ea quæ sunt propria vel appropriata personis.

Item inter scholasticos latinos est notabile discrimen secundum controversiam de universalibus, prout quidam ut Scotus ponunt inter essentiam et personas divinas distinctionem formalem actualem a parte rei, dum nominales ponunt distinctionem velut verbalem sicut inter Tullium et Ciceronem; thomistæ autem et plerique theologi distinctionem virtuales.

4. De testimonio S. Scripturæ circa mysterium Trinitatis.

Status quæstionis: Melius est in titulo uti hac terminologia, quam dicere: Existentia SS. Trinitatis ex S. Scriptura probatur. Revera enim Trinitas non probatur, non est conclusio theologica, sed creditur. Dicere: “Ex S. Scriptura probatur” videtur innuere fidem esse conclusionem hujus syllogismi: Quidquid Deus revelavit verum

est, et credendum. Atqui Deus in S. Scriptura revelavit mysterium Trinitatis. Ergo credo hoc mysterium. Vera conclusio prædicti syllogismi est: Ergo mysterium Trinitatis est credibile, imo credendum. Hoc est iudicium credibilitatis, imo credentitatis, nondum vero est actus fidei, qui est actus simplex essentialiter supernaturalis, supra discursum, et non fructus syllogismi: quia immediate nititur auctoritate Dei revelantis prout uno et eodem actu credo Deo revelanti et Deum revelatum, ut dicitur II-II, q. 2, a. 2.

Attamen prædicta expressio, scilicet “existentia SS. Trinitatis ex S. Scriptura probatur” potest sumi in bono sensu, scilicet: probatur hanc veritatem esse de fide secundum S. Scripturam. Et in hoc sensu multi thomistæ hac formula utuntur.

Notandum est etiam quod non necesse est quod semper probetur ex S. Scriptura quodlibet dogma esse revelatum, quia potest esse modo parum explicito in S. Scriptura et clarius in Traditione divina, quæ antecedeat Scripturam, momento prædicationis Christi et primæ prædicationis Apostolorum, quæ non integraliter scripta est.

Quoad originem dogmatis SS. Trinitatis, rationalistæ, protestantes liberales et modernistæ dicunt, Christum minime docuisse Deum esse trinum, sed tantummodo Deum esse Patrem omnium. Addunt: Apostoli ab initio credebant quidem in Deum Patrem et in hominem Jesum Christum, divinum legatum, et in Spiritum seu virtutem et operationem Dei, sed tres hujusmodi terminos non habebant *ut personas distinctas*. Circa an. 80, jam apparet in Evangelio sec. Matthæum formula baptismi, in qua simul PATER, FILIUS, et SPIRITUS SANCTUS connumerantur non tamen ut distinctæ personæ. Paulo post, quidam christiani, Philonis systemate imbuti, Christum putaverunt esse *Logon* seu ens medium inter Deum et hominem; alii, hellenicis theoriis addicti, censuerunt, Christum esse *filium* Dei sensu litterali et proprio, ideoque Patri æqualem: quæ theoria post longas disputationes definita est in Concilio Nicæno.

Dogma igitur Trinitatis nihil aliud est pro rationalistis, nisi theoria judæo-hellenistica, per quatuor priora sæcula lente elaborata.

Contra hanc rationalisticam interpretationem, testimonium S. Scripturæ exponi posset, ut plures faciunt, ostendendo quomodo hoc mysterium jam in Veteri Testamento adumbratur, et postea plene revelatur in Novo. Sed pro V. Testamento melius est saltem in cursu theologiæ dogmaticæ uti methodo regressiva, scilicet post expositionem textuum N. T., sic clarius apparebit adumbratio hujus mysterii in V. T., sicut ad inveniendum fontem alicujus fluminis ascendimus regressive secundum cursum ejus.

Quoad expositionem autem doctrinæ N. T. melius est sequi ordinem secundum quem proposita est ipsa Revelatio a Christo et ab Apostolis, et prius considerando textus de tribus personis simul, postea textus de qualibet persona in particulari. Ita merito plures procedunt, v. g. Tanquerey in sua ultima editione: cfr. etiam Hervé et Scheeben.

Testimonia N. T. de tribus personis simul.

Supposito cursu exegeseos, hæc expositio doctrinæ fidei ostendere debet ipsos fontes theologiæ. Et sicut magna flumina descendunt de montibus, ita s. theologia descendit ab altitudine doctrinæ fidei expressæ in S. Scriptura et Traditione; deinde autem, in fine, rursus theologia ad hanc altitudinem ascendit prout disponit ad contemplationem divinorum.

Speciatim consulenda est *Theologia biblica, de SS. Trinitate*, a P. F. Ceuppens O. P. Romæ 1938 edita: Mysterium SS. Trinitatis in A. T., pag. 1-53. Mysterium SS. Trinitatis in N. T. in Synopticis 54-97. In Actibus Apostolorum 98-110. Apud S. Paulum 111-154. — Apud S. Joannem 154-244.

Conveniens est prius considerare hoc testimonium de tribus personis simul.

1) In Evangeliiis synopticis tanquam in expressione primæ prædicationis christianæ. 2) In Epistolis Apostolorum quarum priores scriptæ sunt circa 53 ann. 3) Denique in Evangelio sec. Joannem scripto circa annum 80 contra eos qui divinitatem Christi negabant. Prius citandi sunt textus clari, postea difficultates ex obscuris.

In Evangeliiis synopticis. Primus textus satis clare manifestans mysterium Trinitatis est apud Lucam I, 30-35 ubi annuntiatur Mariæ per Angelum Gabrielem Incarnatio Verbi: “Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus *Altissimi* obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur *Filius Dei*”.

Trinitas personarum in hoc textu jam clare enuntiatur, nam Angelus mittitur a Deo Patre, qui pluries et ibidem vocatur *Altissimus* et ab eo quodammodo distinguuntur *Spiritus Sanctus* et *Filius Dei altissimi* (v. 32), Id enim quod nascetur ex B. M. V. non erit Pater, nec Spiritus Sanctus, sed vocabitur *Filius Dei*. Item ex hoc textu innuitur consubstantialitas personarum præsertim ex hoc quod Filius Dei dicitur in sensu non lato, sed proprio, prout infra apud Luc. I, 43 Maria dicitur *Mater Domini*. Denique Spiritus, cui tribuitur hoc Incarnationis opus, non est minor Patre et Filio. Hæc est prima manifestatio Trinitatis in N. T. ante Incarnationem.

Secundus textus Synopticorum est apud Matth. III, 17 et Luc. IX, 34 (cfr. II Petri I, 17) ante initium ministerii

Jesu, *in momento Baptismi Christi*; legitur apud Matth.: “Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, et vidit *Spiritus Dei* descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*”. Hæc verba dicuntur a Deo Patre in hac solemniori theophania.

Clarius quam in primo textu apparet distinctio personarum, prout Pater loquitur de cælo, et Filius hoc nomine personali opponitur ut persona Patri; tandem Spiritus Sanctus ab utroque distinguitur, nam dum Pater de cælo loquitur, Spiritus Sanctus sub specie columbæ descendit super Christum, qui declaratur Dei Filius.

Satis clare constat quod Pater non est Filius, nemo enim dicitur pater suiipsius, et quod Pater et Filius non sunt Spiritus Sanctus. Si autem Pater ante considerationem mentis nostræ non est Filius, ab eo realiter distinguitur; item si Pater et Filius non sunt Spiritus Sanctus, ab eo realiter distinguuntur.

Item in hoc textu aliquo modo apparet divinitas Filii, prout vocatur ὁ υἱός cum articulo, scilicet Filius in sensu non lato, sed proprio, et additur: “in quo mihi bene complacui”, seu præ omnibus dilectus.

Ut dicit P. Ceuppens, *op. cit.*, p. 57: “Notandum præsertim est tres auctores Synopticos eandem expressionem ὁ ἀγαπητός, *dilectus*, adhibere; porro in N. T. illud vocabulum nunquam de filio adoptivo prædicatur, sed in N. T. idem sonare videtur ac ὁ μονογενής, scilicet unicus, unigenitus”.

Spiritus autem Sanctus in hoc textu vocatur Spiritus Dei (Mth.), non est ergo quicumque spiritus divinus, v. g. angelus quidam, “sed est Spiritus bene determinatus, τὸ πνεῦμα (Mc. I, 10), et ut nullum amplius dubium habeatur adjungit Lucas III, 22, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, est illa persona divina quæ in toto N. T. Spiritus Sanctus vocatur, et quæ simul cum Patre et Filio constituit SS. Trinitatem” ita P. Ceuppens loc. cit.

Tertius textus Synopticorum est apud Matth. XXVIII, 19 et Marcum XVI, 13 *in formula Baptismi* a Christo tradita antequam ad cælos ascenderet, dum Apostolos mittebat ad prædicandum Evangelium: hoc est in fine totius Evangelii, sicut prima manifestatio fuit initio ante Incarnationem. Legitur enim in hoc loco Matth.: “*Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*”. Distinctio personalis magis adhuc apparet in græco, ubi conjunctio καὶ et articulus repetuntur ante nomen cujuslibet personæ.

Repetitio articuli tam emphatica vix explicari potest sine reali distinctione personarum. Insuper Pater non est Filius, sunt nomina personalia, non vero nomina impersonalia, ut veritas, bonitas, sapientia, quæ designant attributa divina ad divinam naturam pertinentia. Unde Pater et Filius designant distinctas personas. Si autem ita est, tertius terminus debet etiam designare personam distinctam.

Denique innuitur quod divinitas harum trium personarum, prout gratia baptismalis in earum nomine data, non potest dari nisi in nomine Dei, et tribus personis redditur secundum hanc formulam idem cultus patriæ. Filius et Spiritus Sanctus in hac formula apparent æquales Patri; si autem non essent Deus, essent infinite infra Patrem.

Notandum est quod rationalistæ et liberales, vim hujus textus percipientes, genuinitatem ejus negare voluerunt ex eo quod Eusebius verba Christi ita allegat “baptizantes in nomine meo...”. Sed hæc objectio vana est, nam omnes codices textum receptum referunt, et pariter omnes Patres qui Eusebium præcesserunt, inter quos S. Irenæus, Hippolytus. Tertull., Orig. Imo ipse Eusebius aliquando formam receptam allegat, et aliquando formam brevioris. De hac controversia circa authenticam hujusce textus cfr. P. Ceuppens, *op. cit.*, pag. 60 sq. “Auctores catholici omnes et inter independentes non pauci theoriam de non authentia impossibilitatem reputant”. Cfr. Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité*. I, 1927, p. 600. Loisy fateri debet: “L'emploi de cette formule est attesté dans la Didachè VII, 1 et l'on peut croire qu'elle était universellement reçue dans les Eglises au commencement du II^e siècle”. Les Evangiles Synoptiques, t. II, p. 751.

In Epistolis Apostolorum sunt præsertim tria testimonia circa tres personas simul. Primum est II Cor. XIII, 13 (juxta Harnack an. 53): “*Gratia Domini nostri Jesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*”. Ibi S. Paulus tribus personis tribuit concessionem gratiæ, sanctificantis; solus autem Deus est auctor gratiæ, remissionis peccati et salutis. Cfr. Job. XIV, 4: “Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?”; Ps. LXXXIII, 12: “*Gratiam et gloriam dabit Dominus*”; “humilibus Deus dat gratiam” Jac. IV, 6. – Secundum testimonium est ad Ephesios, IV, 4-6 (juxta Harnack an. 57-9) agendo de corpore mystico Christi: “*Unum corpus et unus Spiritus... unus Dominus* (scil. Christus), una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia, et in omnibus nobis”. Æqualitas personarum inferitur ex eo quod tres simul conferunt gratiam, cujus solus Deus est auctor. Hoc est magnum argumentum S. Athanasii: Solus Deus deificat.

Tertium testimonium est in I Petri I, 1-2: “*Petrus apostolus Jesu Christi... secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi: gratia vobis et pax multiplicetur*”. Sicut in prædictis testimoniis tres personæ ibi apparent ut altissima causa gratiæ.

Apud Joannem denique (juxta Harnack et Zahn inter ann. 80-110) clare affirmantur Trinitas personarum et earum æqualitas. Citamus solum nunc textus de tribus personis simul: sunt duo principales.

Primus est apud Joan. XIV, 16, 26, *de promissione Spiritus Sancti* a Christo fada in cœna ultima. Ait enim Christus: “Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum... Paraclitus autem Sp. Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia”.

Ibi clare distinguuntur Pater qui *mittit* Spiritum, et Filius qui *rogat* Patrem ut Sp. Sanctus mittatur, et Sp. Sanctus qui *mittitur* a Patre in nomine Filii. Certo mittens distinguitur a misso, mittens ante considerationem mentis nostræ *non est* ille qui mittitur et pariter Pater *non est* Filius, generans non est ille qui generatur, nemo dicitur seipsum generare. Si bene intelligitur sensus verbi *est* et negationis *non est*, satis clare constat realis distinctio personarum, seu distinctio quæ est in ipsa realitate ante considerationem mentis nostræ; quamvis valde intime uniantur hi de quibus sic loquitur S. Scriptura, realiter distinguuntur; ita substantia panis non est ejus quantitas et tamen intime uniuntur. Item in prædicto textu et ex contextu apparet trium personarum consubstantialitas; nam paulo antea apud Joan. XIV, 9-11 dicit Christus: “Qui videt me, videt et Patrem... Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?”. Item Joan, X, 30: “Ego et Pater unum sumus”. Item apud Joan. XV, 26: “Spiritus veritatis qui a Patre procedit”, et ut fons omnis veritatis: cfr. Joan. XVI, 13: “Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem”.

Secundus textus Joannis de tribus personis simul est celebre comma joanneum, I Joan. V. 7: “Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum et Sp. Sanctus et hi tres unum sunt”, De genuinitate hujus textus magna controversia orta est. Adversarii genuinitatis arguunt ex hoc quod textus ille deest in omnibus codicibus græcis qui aliqua auctoritate gaudent, item in pluribus latinis codicibus et in præcipuis versionibus. Ex hoc concludunt isti: Valde probabiliter illud comma erat olim solum explicatio marginalis quæ postea in ipsum textum transiit. Sic hæc explicatio marginalis haberet adhuc valorem traditionis. – E contra defensores genuinitatis dicunt: Illud comma semper fuit in versione latina quæ antiquitate superat græcos codices; nam in plerisque latinis codicibus invenitur et a multis Patribus commemoratur, ut a Tertulliano, Cypriano, Augustino. Omissio vero hujus versus in codicibus græcis explicatur ab his auctoribus, quia versus 7 et versus 8 eodem modo incipiunt et eodem modo terminantur sc. “et hi tres unum sunt” et propterea transcriptores facile omiserunt versum 8. Legitur enim in versione latina versus 7: “Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum et Sp. Sanctus, et hi tres unum sunt”. V. 8: “et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus et aqua et sanguis, et hi tres unum sunt”.

De hac re fuerunt duæ declarationes S. Officii quæ citantur a Denzinger N. 2198.

Ex prima habetur: “Tuto negari non potest nec in dubium revocari hunc textum S. Joan. esse authenticum” (13 januar. 1927).

Secunda autem declaratio, 2 junii 1927, sic sonat: “Decretum hoc latum est ut coerceretur audacia privatorum doctorum *jus sibi tribuentium* authenticam commatis Joannei aut penitus reiiciendi, aut ultimo judicio suo saltem in dubium vocandi... Minime vero impedire voluit quominus scriptores catholici rem plenius investigarent... et in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare judicio Ecclesiæ, cui a Jesu Christo munus demandatum est Sacras Litteras non solum interpretandi, sed etiam fideliter custodiendi”.

Nunc transeamus ad testimonia Novi Testamenti de personis singulatim sumptis.

Testimonia specialia de Deo Patre.

Deus in S. Scriptura dicitur *Pater* tripliciter:

I - sensu latissimo *ratione creationis*, respectu creaturarum quas creavit, conservat ac gubernat, sic apud Job. XXXVIII, 28 dicitur “Pater pluviae”; II - sensu lato, *ratione adoptionis* erga filios adoptivos, sic in oratione dominica dicitur “Pater noster”; III - sensu omnino proprio, *ratione generationis* respectu Filii unigeniti. Sic Christus de quo dictum est: “Hic est Filius meus dilectus” (Matth. III, 17), dicit ipse, non Pater noster, sed *Pater meus*, v. g. Joan. VIII, 54: “Est Pater meus qui glorificat me”. Matth. XXV, 34: “Venite, benedicti Patris mei” non nostri, Luc. II, 49: “In his quæ Patris mei sunt oportet me esse”. Joan. X, 29: “Nemo potest rapere de manu Patris mei”. Joan. XV, 24: “Oderunt me et Patrem meum”. Joan. XX, 17: “Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum”. Non eodem modo Deus est Pater Jesu Christi et Pater filiorum adoptivorum. Et in Prologo Joannis I, 18 dicitur: “Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit”. Item S. Paulus pluries loquitur de “Deo, Patre Domini nostri Jesu Christi”, v. g. Rom. XV, 6: “Honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi”. Item II Cor. I, 3: “Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi”. Item Eph. I, 3. Sic Pater apparet ut Persona et Persona divina, nemo unquam de hoc dubitavit; vocatur enim Domitius cæli et terræ et Deus vivus, v. g.: “Tu es Christus Filius Dei vivi”. Apud Joannem in toto capite XVII Christus invocatur Patrem tanquam Deum. Quod autem Pater sit persona distincta a Filio constat prout generans distinguitur a generato, et hoc clarius apparebit agendo de Filio.

Index

hujus tomi II

Præfatio.....	7
Introductio positiva.....	8
I- Momentum et locus hujusce tractatus.....	8
II- Enunciatio mysterii Trinitatis secundum Ecclesiam.....	12
III- De erroribus circa Trinitatem.....	13
IV- De testimonio S. Scripturæ circa mysterium Trinitatis.....	17
V- De Traditionis testimonio circa Trinitatem.....	30
VI- Quid a sancto Augustino accepit sanctus Thomas quoad intelligentiam hujusce mysterii.....	33
DE DIVISIONE TRACTATUS S. THOMÆ DE TRINITATE.....	39
Qu. XXVII- De processione divinarum Personarum. 40	
Art. 1- Utrum processio sit in Divinis.....	40
Art. 2- Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit.....	44
Art. 3- Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi.....	47
Art. 4- Utrum processio amoris in divinis sit generatio.....	49
Art. 5- Utrum sint plures processiones in divinis quam duæ.....	50
Qu. XXVIII- De relationibus divinis.....	53
Art. 1- Utrum in Deo sint relationes reales.....	55
Art. 2- Relatio in Deo estne idem quod sua essentia.....	56
Art. 3- Utrum relationes quæ sunt in Deo realiter ad invicem distinguantur.....	63
Art. 4- Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales.....	66
Qu. XXIX- De Personis divinis.....	68
Art. 1- De definitione personæ.....	68
Art. 2- Utrum persona sit idem quod hypostasis, substantia et essentia.....	72
Art. 3- Utrum nomen personæ sit ponendum in divinis.....	73
Art. 4- Utrum nomen persona in Deo significet relationem.....	74
Qu. XXX- De pluralitate Personarum divinarum.....	80
Qu. XXXI- De his quæ ad unitatem vel pluralitatem pertinent.....	82
Art. 1- Utrum sit Trinitas in divinis.....	82
Art. 2- Utrum Filius sit alius a Patre.....	83
Art. 3- Utrum dici possit: Deus est solus.....	83
Art. 4- Utrum dici possit: Deus Pater est solus.....	83
Qu. XXXII- De divinarum personarum cognitione.....	85
Art. 1- Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.....	85
Art. 2- Utrum sint ponendæ notiones in divinis.....	90
Art. 3- Utrum sint quinque notiones in divinis.....	91
Art. 4- Utrum liceat contrarie opinari de notionibus divinis.....	91
Qu. XXXIII- De Persona Patris.....	93
Art. 1- Utrum competat Patri esse principium.....	93

Art. 2- Utrum hoc nomen “Pater” sit proprie nomen divinæ personæ.....	94
Art. 3- Utrum hoc nomen “Pater” dicatur de divinis per prius secundum quod personaliter sumitur.....	94
Art. 4- Utrum esse ingenum sit Patri proprium.....	95
Qu. XXXIV- De Persona Filii.....	96
Art. 1- Utrum “Verbum” in divinis sit nomen personale.....	96
Art. 2- Utrum Verbum sit proprium nomen Filii.....	97
Art. 3- Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturas.....	97
Qu. XXXV- De Imagine.....	99
Art. 1- Utrum “Imago” in divinis dicatur personaliter.....	99
Art. 2- Utrum nomen “Imaginis” sit proprium Filio.....	99
Qu. XXXVI- De persona Spiritus Sancti.....	101
Art. 1- Utrum hoc nomen “Spiritus Sanctus” sit proprium nomen alicujus divinæ personæ.....	101
Art. 2- Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio.....	102
Art. 3- Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium.....	110
Art. 4- Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.....	110
Qu. XXXVII- De nomine Spiritus Sancti quod est Amor.....	111
Art. 1- Utrum amor sit proprium nomen Spiritus Sancti.....	111
Art. 2- Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto.....	113
Qu. XXXVIII- De nomine Spiritus Sancti quod est Donum.....	115
Art. 1- Utrum donum sit nomen personale.....	116
Art. 2- Utrum donum sit proprium nomen Spiritus Sancti.....	117
Qu. XXXIX- De personis in comparatione ad essentiam.....	119
Art. 1- Utrum in divinis essentia sit idem quod persona.....	119
Art. 2- Utrum sit dicendum tres personas esse unius essentiae.....	121
Art. 3- Utrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.....	121
Art. 4- Utrum nomina essentialia concreta (ut Deus, non Deitas) possint supponere pro persona.....	122
Art. 5- Utrum nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona.....	122
Art. 6- Utrum personæ possint prædicari de nominibus essentialibus.....	122
Art. 7- Utrum nomina essentialia sint approprianda personis.....	123
Art. 8- Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.....	124
Qu. XL- De personis per comparisonem ad relationes.....	127
Art. 1- Utrum relatio sit idem quod persona.....	127
Art. 2- Utrum personæ distinguantur per relationes.....	127

Art. 3- Utrum actus notionales præintelligantur proprietatibus.....	128
Qu. XLI- De Personis in comparatione ad actus notionales.....	129
Art. 1- Utrum actus notionales sint attribuendi personis	129
Art. 2- Utrum actus notionales sint voluntarii.....	130
Art. 3- Utrum per actus notionales, persona procedat de aliquo, an ex nihilo.....	131
Art. 4- Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium.....	131
Art. 5- An potentia generandi significet relationem et non essentiam.....	131
Art. 6- Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.....	132
Qu. XLII- De æqualitate et similitudine divinarum personarum.....	133
Art. 1- Utrum personæ divinæ sint æquales.....	133
Art. 2- Utrum persona procedens sit coæterna suo principio.....	133
Art. 3- Utrum in divinis personis sit ordo naturæ.....	134
Art. 4- Utrum Filius sit æqualis Patri sec. magnitudinem	134
Art. 5- Utrum Filius sit in Patre et e converso.....	135
Art. 6- Utrum Filius sit æqualis Patri secundum potentiam.....	135
Qu. XLIII- De missione divinarum Personarum.....	137
Art. 1- Utrum alicui personæ conveniat mitti.....	137
Art. 2- Utrum missio sit æterna an temporalis tantum	138
Art. 3- Utrum missio invisibilis divinæ personæ sit solum sec. donum gratiæ gratum facientis.....	140
Art. 4- Utrum Patri conveniat mitti.....	146
Art. 5- An conveniat Filio invisibiliter mitti.....	146
Art. 6- Utrum missio invisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ?.....	147
Art. 7- Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti	147
Art. 8- Utrum nulla Persona divina mittatur nisi ab ea a qua procedit æternaliter.....	147
TRACTATUS DE DEO CREATORE.....	150
Qu. XLIV- De prima causa omnium entium.....	153
Art. 1- Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo.....	153
Art. 2- Utrum materia prima sit creata a Deo.....	156
Art. 3- Utrum Deus sit causa exemplaris rerum, an sint alia exemplaria præter ipsum.....	158
Art. 4- Utrum Deus sit causa finalis omnium.....	160
Qu. XLV- De modo emanationis rerum.....	163
Art. 1- Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere.....	163
Art. 2- Utrum Deus possit aliquid creare.....	166
Art. 3- Utrum creatio sit aliquid in creatura.....	167
Art. 4- Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium.....	169
Art. 5- Utrum solius Dei sit creare.....	170
Art. 6- Utrum creare sit proprium alicujus personæ....	174
Art. 7- Utrum in creaturis sit necesse invenire vestigium Trinitatis.....	176
Art. 8- Utrum creatio admisceatur operibus naturæ et arti.....	176

Qu. XLVI- De principio durationis rerum creaturarum	178
Art. 1- Utrum universitas creaturarum semper fuerit. .	178
Art. 2- Utrum mundum incepisse sit articulus fidei.....	180
Art. 3- Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis	183
Qu. XLVII- De distinctione rerum in communi.....	185
Art. 1- Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo..	185
Art. 2- Utrum inæqualitas rerum sit a Deo.....	188
<i>Artic. Codicis Montis Cassini publicatus in ed. Leonina, habet pro titulo-</i> Utrum in creaturis sit ordo agentium	191
Art. 3- Utrum sit unus mundus tantum.....	192
De gubernatione rerum in communi.....	194
Art. 1- Utrum mundus ab aliquo gubernetur.....	194
Art. 2- Utrum finis gubernationis mundi sit aliquid extra mundum.....	194
Art. 3- Utrum mundus gubernetur ab uno.....	195
Art. 4- Utrum effectus gubernationis sit unus tantum et non plures.....	195
Art. 5- Utrum omnia divinæ gubernationi subdantur. .	195
Art. 6- Utrum omnia immediate gubernentur a Deo....	196
Art. 7- aliquid præter ordinem divinæ gubernationis contingere possit.....	196
Art. 8- Utrum aliquid possit reniti contra ordinem gubernationis divinæ.....	196
De conservatione creaturarum.....	198
Art. 1- Utrum creaturæ indigeant ut a Deo conserventur in esse.....	198
Art. 2- Utrum Deus immediate omnem creaturam conservet.....	199
Art. 3- Utrum Deus possit aliquid in nihilum redigere. .	199
Art. 4- Utrum aliquid in nihil redigatur.....	199
De mutatione creaturarum a Deo.....	201
Art. 1- Utrum Deus possit immediate movere materiam ad formam.....	201
Art. 2- Utrum Deus possit immediate movere aliquod corpus.....	201
Art. 3- Utrum Deus moveat immediate intellectum creatum.....	201
Art. 4- Utrum Deus possit movere voluntatem creatam	201
Art. 5- Utrum Deus operetur in omni operante.....	202
Art. 6- Utrum Deus possit facere aliquid præter ordinem rebus inditum.....	202
Art. 7- Utrum omnia, quæ Deus facit præter ordinem naturalem rerum, sint miracula.....	203
Art. 8- Utrum unum miraculum sit majus alio.....	203
DE DISTINCTIONE RERUM IN SPECIALI.....	204
Qu. XLVIII- De distinctione boni et mali.....	204
Art. 1- Utrum malum sit natura quædam.....	205
Art. 2- Utrum malum inveniatur in rebus.....	208
Art. 3- Utrum malum sit in bono sicut in subjecto.....	210
Art. 4- Utrum malum corrumpat totum bonum.....	212
Art. 5- Utrum malum sufficienter dividatur per poenam et culpam.....	214
Art. 6- Utrum habeat plus de ratione mali poena quam culpa.....	217

Qu. XLIX- De causa mali.....	220	Cap. VIII- De hierarchia angelorum.....	248
Art. 1- Utrum bonum possit esse causa mali.....	220	Cap. IX- De custodia angelorum.....	249
Art. 2- Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.....	224	Art. 1- De ipsa eorum custodia.....	249
Art. 3- Utrum sit summum malum, quod sit causa omnis mali.....	231	Art. 2- Quænam sint officia angelorum custodum erga nos.....	249
DE ANGELIS.....	235	Cap. X- De impugnatione dæmonum.....	249
Cap. I- De existentia et de substantia angelorum..	235	DE CREATURA CORPORALI.....	251
Art. 1- De existentia angelorum.....	235	DE HOMINE.....	255
Art. 2- De principiis S. Thomæ in hoc tractatu cum principiis Scoti et Suarezii comparatis.....	235	SECT. I- DE ANIMA HUMANA.....	255
Art. 3- De creatione et substantia angelorum.....	237	Cap. I- De spiritualitate et immortalitate animæ. .	255
Art. 4- Angeli sint puri spiritus absque ullo corpore quantumvis subtili.....	237	Cap. II- De unione animæ cum corpore.....	258
Art. 5- Angelus est etiam omnino immaterialis.....	237	Cap. III- De facultatibus animæ.....	261
Art. 6- Quomodo angeli assumunt corpora?.....	238	Cap. IV- De actibus intellectivæ partis animæ, speciatim: quomodo anima seipsam cognoscat.....	263
Art. 7- Utrum angeli differant specie.....	238	Cap. V- De anima separata.....	264
Art. 8- An angelus sit in loco.....	239	Art. 1- De subsistentia animæ separata.....	264
Cap. II- De virtute cognoscitiva angeli.....	239	Art. 2- De cognitione animæ separata.....	264
Art. 1- Utrum intelligere angeli sit ejus substantia.....	239	Art. 3- De immutabili voluntate animarum separatarum.....	266
Art. 2- Utrum intelligere angeli sit ejus esse.....	240	SECT. II- DE PRIMA PRODUCTIONE HOMINIS ET DE EJUS LAPSU.....	268
Art. 3- Utrum potentia intellectiva angeli sit ejus essentia.....	240	Cap. I- De homine origine.....	268
Cap. III- De medio cognitionis angelicæ.....	240	Art. 1- De protoparentum creatione.....	269
Art. 1- Utrum angeli cognoscant omnia per suam essentiam, sicut Deus.....	240	Art. 2- De unitate generis humani.....	270
Art. 2- Utrum angeli intelligant per species a rebus acceptas.....	240	Art. 3- De propagatione generis humani quoad productionem animæ.....	270
Art. 3- Utrum superiores angeli intelligant per species magis universales quam inferiores angeli.....	241	Cap. II- De homine elevatione ad statum supernaturalem.....	272
Art. 4- An angeli cognoscant naturaliter futura contingentia et secreta cordium.....	241	Art. 1- Quid sit supernaturale et quomodo dividitur....	272
Cap. IV- De amore seu dilectione angelorum.....	242	Art. 2- De variis statibus humanæ naturæ relate ad gratiam.....	274
Art. 1- De eorum voluntate et libertate.....	242	Art. 3- An protoparentes constituti fuerint in statu sanctitatis et justitiæ, et status iste fuerit supernaturalis. .	274
Art. 2- De eorum amore tum naturali tum electivo.....	242	Art. 4- De dono integritatis seu de donis præternaturalibus.....	276
Art. 3- angelus naturali dilectione diligat Deum (auctorem naturæ) plus quam seipsum.....	242	Art. 5- De conditione proles generandæ in statu innocentie.....	279
Cap. V- De merito angelorum.....	244	Art. 6- Utrum gratia sanctificans fuerit in Adamo innocente dos naturæ aut donum personale tantum.....	279
Art. 1- Utrum angelus beatus suam beatitudinem meruerit.....	244	Cap. III- De hominis lapsu.....	284
Art. 2- An angeli meruerint in primo instanti.....	244	Art. 1- De peccato protoparentum.....	284
Art. 3- Utrum angeli sint consecuti gratiam et gloriam secundum quantitatem naturalium.....	245	Art. 2- De existentia peccati originalis et ejus effectuum in Adæ posteris.....	285
Cap. VI- De culpa et obstinatione dæmonum.....	245	Art. 3- De natura originalis peccati.....	288
Art. 1- Utrum malum culpæ possit esse in angelis.....	245	Art. 4- De sequelis peccati originalis.....	290
Art. 2- An angelus potuerit peccare in primo instanti? ..	246		
Art. 3- An angeli potuerint peccare venialiter?.....	246		
Art. 4- De obstinatione dæmonum.....	246		
Cap. VII- De illuminatione angelorum.....	248		

Achevé d'imprimer aux Pays-Bas
par Pumbo.fr,
le 7 mars 2023,
en la fête de saint Thomas d'Aquin

Dépôt légal : mars 2023
ISSN : 2681-6954 (GL n°2)